



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. III. Quomodo procedendum sit, si super eadem causa impetrentur plura diversa Rescripta ad diversos iudices, & dubitetur, quodnam ex illis sit alteri præferendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ficis aliter constet *c. duobus 14. h. t. in 6.* cum enim præsumi non possit, quòd voluerit Pontifex unam & eandem Ecclesiam duplici hoc rescripto gravare, nihil tamen appareat, ex quo magis pro uno, quàm pro altero præsumi possit, consequenter penes recipientes erit, quem recipere velint, excluso altero.

Resp. Denique 4. Si quis à Principe ad gratiam legitimè revocatam, & consequenter extinctam, restituatur, restitutionem tamen non fieri cum præjudicio seu læsione juris alteri interea acquisiti, cum restitutio juris legitimè amissi sit nova gratiæ concessio, quæ in præjudicium alterius, cui jus legitimè jam acquisitum fuit, non operatur: & hinc, si quis rescriptum beneficiale obtinuit, quod postea revocatum fuit, similis tamen Gratia in ordine ad eandem Ecclesiam tertio alicui concessa fuit, præferendus hic erit priori in affectatione beneficii, nisi Pontifex expressè aliter disponat, *c. quamvis. 8. h. t. in 6.*

§. III.

Quomodo procedendum sit, si super eadem causâ impentur plura diversa rescripta ad diversos Judices, & dubietur, quodnam ex illis sit alteri præferendum?

*R*esp. Si velit in tali casu una pars Judicum delegatorum deferre alteri, ut cognoscat, ad quos super causâ principali Jurisdictio pertineat, possunt illi soli, quibus taliter defertur, super hoc dubio, priusquam de causa principali cognoscatur, decidere. Si tamen neutra pars alteri ad prius dubium decidendum deferre velit, utraque pars Judi-

cum, inspectis rescriptis, & eorum datis decidere debet, cui competat Jurisdictio, nisi consentire, & convenire inter se non possint, quo in casu arbitri, (quos juris vocant) communi consensu eligi debent, qui controversiam hanc definiant *c. Pastoralis 14. h. t.* Ut autem, si plures in quolibet rescripto Judices delegati sint, causam validè decident, non sufficit major omnium delegatorum pars consentire, sed debet major pars cujlibet rescripti consentire, ut si v. g. in uno rescripto quatuor Judices delegati essent, in altero tres, debent, ut validè causa decidatur, vi hujus rescripti, duco consentire, & vi alterius tres, pro ut sumitur ex relato *c. pastoralis*, sic enim habetur consensus omnium, quod enim major pars communitatis facit, omnes facere censentur.

§. IV.

De revocatione Rescriptorum.

*D*uplici quidem modo revocantur Rescripta, tacitè & expressè; quia tamen de tacitâ revocatione sufficienter jam dictum videtur, de solâ expressâ revocatione dicendum aliquid. & quidem in *c. ult. h. t. in 6.* specialiter summus Pontifex concessas gratias & mandata revocat, quæ propter ambitionem petentium importunitatem in perpetuum, sive ad vitæ tempus, concessa sunt, ut quod sibi licere non vult Pontifex, suis successoribus indicetur. In *c. verò ex parte 33. h. t.* revocat litteras à procuratore revocato ad lites impetratas, quæ, (saltem à Personâ extraneâ) impetrari non possunt, sine speciali mandato Domini, ut ex dictis patet.

§. V. An